



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 50. Continuata Religionis dissidia in Belgio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

hibuit, non sine magno Baji mœrore, hic tamen Doctor pacis amore sese demisse submittens non sine proborum admiratione abstinuit ab omni apologia, vel explicatione, qua suas propositiones honestare potuisset: at progressu temporis hoc negotium magnos suscitavit tumultus, ut sequentibus annis perspiciemus.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1567.

§. L.

*Continuata Religionis dissidia in Belgio*

Cum interea, ne Baji doctrina altiores ageret radices, Doctores Lovanienfes toto studio adlaborarent, hærefis in Belgio tam magnos fecerat progressus, ut Philippus, qui Belgis dominabatur, bellum illis inferre decerneret, dissuadentibus licet quamplurimis, imo ipsomet ejus Confessario, qui Regem ab hoc proposito dimovere nitebatur. Jam supra libro priori memoravimus, quod fœderati Mense Octobri anno salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto Ruremundæ convenerint, mox tamen conventum hunc solverint, eo quod in nullo Religionis articulo inter se concordiam stabilire possent.

*Strada de bello Belgico l. 6. Thuan. l. 40.*

Postea Orangius Princeps in Hollandiam contendens Antverpiensis Ur-

G 5

bis

**Sæcul. XVI**  
**A.C. 1567.**

bis Præfecturam Hochstrato cesserat, eumque ibidem permanere voluit, Comes vero Egemontius in Flandriam, atque alii in diversa loca secesserunt. Tum Hochstratus rebellis populi motibus vehementer obstiterat, unde tumultus brevi sedatum iri Gubernatrix spem conceperat, atque seditionis, ut illos ad sua studia pertraheret, janiam blandiri cæperat, nec minus Egemontius haud obscura sui in Regis obsequium studii specimina edere credebatur, ac insuper Hochstratus Mechliniensem populum in officio continebat, Princeps vero Orangius quosdam rebelles Trajecti plectebat: nihilominus seditiosi Brugæ, & Valencenæ novos tumultus suscitabant, atque in posteriori hac urbe Ecclesiam sancti Vedasti devastabant. Re comperta Margarita Parmensis Belgii Gubernatrix, ubi se satis viribus firmatam viderat, Philippo Norcarmio a sancta Aldegunde, qui pro Marchione Bergensi in Hispaniam misso Hannoniæ Præfectum agebat, injunxit, ut præsidarios milites Valencenæ urbi imponeret, populumque contineret.

§. LI.

*Valenca Gubernatricis jussu obsessa.*

*Thuan. & Strada l. 6.* Itaque Norcarmius jussa executurus copias suas urbi propius admovit: verum